Diſputatio.

ANNVENTIBVS COLLEGII THEOLOgorum Profeſſoribus, ſub patrocinio D. Georgij Theandri. S. Th: Doctoris, & Profeſſoris ordinarij, M. Iacobus Pfiſter, Concionator in Aichab apud Bauaros, ad has de peccato Originis collectas Theſes reſpondebit, eaſq; pro uiribus ſuſtinere conabitur.

QVAESTIO.

An in ijs, qui renouationis lauacro abluuntur, reliqua ſit adhuc poſt Baptiſmum culpa originalis?

Theſes inde collectæ.

I.

Homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei creatus, iuſticiaq; originali prȩditus, qua animus Deo ſubiectus erat, animo corpus, corpori autem omnia, quæ iuxta Prophetam ſubiecerat Deus pedibus noſtris, rectus à ſapiente dicitur eſſe factus.

II.

Qui dum mandatum diuinum præuaricatus eſſet, obedientia erga Deum in inobedientiam commutata, præclarum illud iuſtitiæ originalis, & concreatæ rectitudinis donum amiſit.

III.

Quando igitur ſua culpa eiuſmodi Iuſtitiæ originalis dono ſic deſtitutus eſſet, neceſſariò fiebat, ut præuaricationem hanc, ſeu defectum iuſtitiæ, quam amiſerat, ſimul cum uitioſa concupiſcentia in totam poſteritatem ſuam hæreditaria propagatione tranſmitteret.

IIII.

In hoc originali peccato omnes concipimur, naſcimur, & ut Apoſtolus ait, naturâ filij iræ ſumus, damnationiſq; æternæ rei: niſi qui ſingulari Dei gratia, & prȩrogatiua ab eo fuerint liberati.

V.

Tollitur autem fȩda hæc peccati macula, & imago, ad quam conditi ſumus, reformatur in nobis, quando per aquam, & ſpiritum ſanctum in Baptiſmo in nouos homines regeneramur, expoliantes, iuxta Apoſtoli ſententiam, ueterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui creauit illum.

VI.

Etſi autem in regeneratis remanet peccati fomes, qui & Lex carnis, ſeu membrorum dicitur, non tamen eſt reuera peccatum, quod nos reos faciat, ac damnatione dignos.

Concluſio.

Rectè ergo Eccleſia ſancta, & Catholica, Patreſq; ab ea recepti hactenus ſemper docuerunt, quòd in renatis nullum ſit reliquum propriè peccatum.

Ingolſtadij Nonis Septemb: Anno Salutis.

M. D. LIIII.

j 5. 54

[illegible]
[illegible]